

De qua re iterum Simplicius hæc habet:

Δύο νοήσωμεν σφαίρας, τὴν μὲν φωτὸς ἐνὸς, τὴν δ'ἐκ πολλῶν σωματων, ἴσας ἀλλήλαις κατὰ τὸν ὄγκον. Ἀλλὰ τὴν μὲν ἔδρασον ὁμοῦ τῷ κέντρῳ. Τὴν δ'ἐμβιβάσας εἰς ταυτὴν: ὅλον τε ὄψει τὸν κόσμον ἐν τόπῳ ὄντα, ἐν τῷ ἀκινήτῳ φωτὶ κινούμενον. Καὶ τοῦτον καθ'ὅλον μὲν ἑαυτὸν, ἀκίνητον, ἵνα μιμεῖται τὸν τόπον. κατὰ μέρος δε κινούμενον, ἵνα ταυτὴ ἔλαττον ἔχη τοῦ τόπου. “*Duas cogitemus sphaeras, alteram luminis unius. Alteram ex multis corporibus, aequales inter se mole. Sed alteram colloca simul cum centro. Alteram vero in eam inde: Universum conspicias mundum in loco existentem, in immobili lumine moveri. Eumque secundum se totum immobilem, ut locum imitetur. Per partes vero moveri, ut hac ratione rrinus, habeat, quam locus.*”

Et concludens hanc rem totam, hæc subnectit:

Πῶς οὖν τὰ λόγια φησὶ. Ἐπτὰ γὰρ ἐξώγκωσε πατὴρ στερεώματα κόσμων εἴμη δὲ δυσωπεῖ, καὶ τὸ μὴ ἀτελεῖς εἶναι τὰς σφαίρας, ἀψίδας μόνον οὐσας, καὶ οὐκέτι σφαίρας, εἰ μὴ μέχρι τοῦ κέντρου χωροῖεν.

“*Quo igitur modo oracula dicunt. Septem enim in moles formavit pater firmamenta mundorum, nisi recipiat non imperfectas esse sphaeras, si sic fornices solum, et non sphaeras, nisi usque ad centrum permeent.*”

Admiranda hæc dogmata, in Græcorum, præter quam Platonicorum scholis audita numquam, divinitus fuisse tradita, Proclus multoties asserit, et ita esse credit. Summa autem eorum est hæc. Supra septem mundos corporeos, Empyreum, tres Æthereos, tresque Hylæos, esse lumen, de quo nos disputabamus antea. Quod sit Paterni profundi imago. Ideoque sit unitas ante trinitatem, Empyreï, Æthereï, Hylæi. Et sit etiam supramundanum. Sicuti et profundum supramundanum est. Hoc est supra omne id, quod mundi corporei appellationem potest suscipere. Et quod Panaugia est, et sidus supracoeleste, et Sol supramundanus. A quo stellæ omnes, suos hauriunt fulgores. Sed præter hæc docuimus nos, ipsum per totum infinitum spacium esse fustum. Ideoque esse infinitum. Et nunc addimus, quoniam sit imago Profundi in se infiniti, necesse esse infinitum quoque esse. Tum quia nullis, aut suis, aut alienis finiatur terminis, necessario esse infinitum. Quod si ita est, non fuerit forte, Altera illa sphaerarum a Proclo propositarum. Hoc enim lumen supra Empyreum extenditur in immensum. Sphaeræ autem illæ erant mole, sibi æquales. Et solida ita ut mererentur ab oraculis, στερεώματα firmamenta nuncupari. Neque essent, sicuti cœlestes creduntur esse concavæ, et fornicatæ. Ita enim non essent sphaeræ, sed orbis, si soliditas earum usque ad centrum non permearet. At quomodo usque ad centrum permeabit utraque nisi, sese invicem penetrent? Attamen clare dicit.

Τὴν μὲν φωτὸς ἐνὸς, τὴν δ'ἐκ πολλῶν σωματων ἴσας ἀλλήλαις κατὰ τὸν ὄγκον.

“*Alteram luminis unius, alteram ex multis corporibus æquales ad invicem, secundum molem.*”

Quæ res rursus, si ita est, dubium vel maximum pronascitur. Nam si lumen hoc, sphaericum Empyreï cum contentis, moli sphaericæ est æquale, cur toties dictum est, supracoeleste, et supramundanum? υπερκοσμιον, υπερουράνιον. Si namque supramundum est, supra Empyreum quoque mundum est; qui unus est e mundis septem. Si supra eum est, eum quoque mole superat. Si superat, non est ei æqualis. Vel hæc quidem æqualitas, molem respicit. Supramundanitas autem illa, respicit rei naturam excellentiorem, et naturæ ordinem? Nimirum lumen, cum sit ens secundum, extra patris profundum, et eius imago; etiam prius natura est, quam calor, et quam ignis. Calor enim, non nisi a lumine. Ignis non nisi a calore. Empyreus non nisi ab igni. Lumen, ergo ut horum causa, eis est superior. Omnis enim causa, et superior, et diviniior est suo effectui. Proximior enim est divinitati. Sed obiicient philosophi hi nostrates; ergo datur corporum penetratio? Nam lumen ipsum uti est trine dimensum, corpus est; et per sphaeras Empyreï, Æthereï, et Hylæi penetrat. Empyreus quoque dicitur æthereos penetrare, æthereus hylæos. Et Empyreus omnes usque ad centrum